



Disputatio juridica inauguralis de fériis

<https://hdl.handle.net/1874/347235>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

F E R I I S,

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ

Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in

Ecclesiâ Praeconis,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in U T R O Q U E J U R E honoribus & Privilegiis

ritè & legitime consequendis:

Eruditorum examini submittit

A D R I A N U S V A N S P I E R I N X H O U C K , Delpho-Bat.

A. D. 24. Jun. hora locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, c̄lo Ic Lxxxix.

*Amplissimo, Gravissimo, Consultissimoque
V I R O,*

D. HENRICO VOCKESTAERT,
JCto, Reip. Delphensi quondam à Secretis dignissimo, ibidemque Ecclesiæ pluries seniori reverendissimo, Patruo olimque tutori optimo, filiali pietate colendo, ac debito honore ad rogum usque prosequendo.

*Spectatissimo, Piissimo, Integerrimoque
V I R O,*

D. JOHANNI COONE,
Mercatori prudentissimo, per affinitatem Avunculo suo, ob plurima in se collata beneficia grato, quo par est, animo, suspiciendo.

*Nobilissimo, Consultissimo, Doctissimoque
V I R O,*

D. PETRO ab EYNDHOVEN,
Jcto Solidissimo, Patrono causarum facundissimo, Curatori pauperum fidelissimo, Studiorum suorum Ductori meritissimo, perquam honorando.

*Inaugurale hoc exercitium devotissimo
pectore Sacrum facit,*

ADRIANUS van SPIERINXHOUCK,
A U C T O R.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A

I N A U G U R A L I S.

D E

F E R I I S,

P R O O E M I U M.



On ignavis mibi feriaturo F E
R I I S, de his quidquam pro in
genii modulo, quod Inauguralis
exercitii specimen exhibeat,
suave fuit delibare; atque in
isthac Otio (utinam viribus &
humeris aequo) dulciter otari:
dum Doctorali vitta redimien-
dum coque

Galeatum sero duelli

Poenitet.

Nunc in arctum desilire cum debuerim,
Pedem referre pudor yetet, aut operis Lex.

T H E S I S I.

Mnia ut ordine peragantur, & cum ipse quo-
que Jetus, Juri operam daturum, unde nomen
juris descendat, nosse oportere ait, l. i. pr. ff.
de just. & jure, minime inconveniens & nobis,
de FERIIS pauca pro virili disserturis, ab origine
vocis auspicium sumere, videtur. FERIÆ au-
tem ita dictæ à feriendis victimis, ac cædendis & immolandis
hostiis: unde & ipsæ hostiæ FERIÆ & quidem præcidaneæ &

A 2

succi-

4 A DISPUTATIO JURIDICA

succidaneæ dicuntur apud *A. Gell. Noct. Att. lib. 4. cap. 6.* vel ab epulis ferendis; in his enim epulæ & sacrificia fiebant ex pecorum frugumque proventibus, Satyrico teste, dum ait,

In carbone tuo charta pia thura soluta

*Ponimus, & sectum vituli jecur, albaque porci
Omenta.*

Sicut porcæ præcidaneæ mentio est apud eundem Gell. loco citato. Quomodo & vitulum iustum legimus apud *Liv. lib. 21.* & taurum, securi vel bipenni ut plurimum adhibita, percussum; uti in hanc rem sic modulatus est Maro,

Quales mugitus, fugit cum saucius aras

Taurus, & incertam excussit cervice securim.

Et aliis dixit,

Pinguia leuifera perstringere colla bipenni.

Vid. omnino mundiarum ejusmodi lectorate megregium *D. Barn. Brisson. de form. lib. 1.* nisi malimus *Ferias* per antiphrasin dici, quod tunc nullæ res inde ferantur; quod lepidum est *Erymon Franc. Pollet. hist. for. Rom. pag. 5.* Id disco, Feriis nimium illectos ac dementatos desides proverbium meruisse, quod Erasmi est, in *Adagiis pag. 286.* *ἀλεγονις ἀερ ἰοτρα, id est, semper feriæ inertibus.*

I I.

Describi possunt feriæ (licet in monadico *feria* quoque reperiatur in *l. 6. C. de custod. reor. ubi per quartam feriam*) cessiones à forensibus negotiis *l. 9. ff. defer.* sive dies ab actibus judicialibus vacui, quibus publice jus non dicitur, nec sui potestatem magistratus facit *l. 5. ff. eod.* ejusque copia non est *l. 26. §. 4. ff. ex quib. cans. maj.* ad experiendum *l. 1. in fin. ff. de divers. temp. rescript.* scilicet, ut judiciali sabbatho respirent, ut durabiles sint, concertantes, neu obtundantur penitus conscripti dicasteriorum patres: utrosque verò devota dulcisque saturret quies. Quanquam & pro pace bellorumque induciis sumi ferias recordor, monente Flacco *carm. lib. 4. od. 5.*

Longas, O utinam! dux bone ferias

Prætes Hesperia.

Quia

INAUGURALIS. 5

III.

Quia autem aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat, teste *Liv. lib. I.* dies fastos nefastosque Rex Numa fecit, urbem novam conditam vi & armis, jure eam legibusque ac moribus de integro condere parans: quorum dierum explicatio nem ac distinctionem nobis exhibet *Ovid. seq. versic.*

Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur,

Fastus erit per quem lege licebit agi.

tribus enim hisce solennibus verbis do, dico, addico, universa Prætoria jurisdictio expeditur. Vide laudatum *Briffon. lib. 5. pag. 416.* aliter nominati sunt festi & profesti, feriati & nec feriati, illis silet judiciorum strepitus, dum Alcyonia fori sunt, his fervet, quando *sessionum*, ut vocantur, dies sunt, five *litigables*, *Pollet. de for. Rom. Prætore in tribunali sedente l. 2. §. 1. ff. quis ord. in bon. possess. Nov. 71. c. 1.*

IV.

Fuerunt etiam antiquitus intercisi Deorum hominumque communes: quibusdam enim illorum horis fas erat, quibusdam nefas jus dicere, vid. *Cantel. de Rom. Rep. dissert. 5. cap. 5.* de quibus ita canit Naso.

*Nec toto præstare die sua jura putaris,
scilicet Prætorem:*

Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.

*Nam simul extra Deo data sunt, licet omnia fari
Verbaque honoratus libera Prætor habet.*

Horum dierum Notæ in Calendario veteri Romano inventiuntur his litteris, EN. NP. FP. quæ sic explicantur. EN. endotercisos denotat; NP. nefastos primo, id est, quibus quidem horis matutinis jus dicere non licebat, postmeridianis autem licebat; his contrarii erant FP. id est fasti primo: iis enim antemeridiano tempore fari licebat, post meridiem vero nefas erat. Dies EN. NP. hodieque in nostratum territoriis celebrantur, nempe ascensionis expromissoris nostri, & simil. Vid. *Nov. Man. Comm. 2. de feriis.*

6 DISPUTATIO JURIDICA

V.

Cæterum sunt feriæ privatæ, vel publicæ; privatæ sunt vel propriæ familiarium, ut Claudiæ familiæ, aut Æmiliiæ, Fabiæ, Juliæ &c. de quibus loquuntur *xii. tab. Sacra privata perpetuò manento.* Vel sunt singulorum, ut Natalium. *Martial. lib. 2. epigr. Natalem colimus, tacete lites. Tibull. lib. 2.*

Dicamus bona verba, venit Natalis ad aras.

& Horatius Mæcenatis natalem celebrans ita canit,

Jure solennis mihi, sanctiorque

Pene natali proprio, quod ex hac

Luce, Mæcenas mens afflentes

ordinat annos.

Quo die Candida omina, (*Briffon. pag. 606.*) Nataliaque munera dabant, ut patet ex *I. 31. §. 8. ff. de don. inter vir. & ux.* unde *Terent. in Phorm.*

Ferietur alio munere, ubi hera pepererit,

Porro autem alio, ubi erit pueru natalis dies.

Summa nempe cura & religione Antiqui observabant, ne amici diem natalem sine munere dimitterent. *Symmach. lib. 6. epist. 49. natalitio munere, quod frequentari à nobis per multos annos communis felicitas faciet, nostrum hilarastis animum.* Quomodo videntur intelligenda verba *I. 12. §. 3. de adm. & per. tut. & curat. ubi solennia munera parentibus cognatisque mittet.* Ille vero cui natalis erat, hoc agebat, ut genialiter eo die & amicos, & se acciperet. *Plaut, in Pseud.*

Mibi hodie natalis dies est, decet eum omnes vos concelebrare.

*Percam, callum, glandium sumen, facito in aqua ja-
ceant. Satin audis?*

Magnifice volo enim summos viros accipere.

Adde *Juven. Sat. 11.*

Moris erat quondam festis servare diebus

Et natalitium cognatis ponere lardum.

Adeo quidem, ut non privatum, sed publicum sæpe convivium daretur; atque hoc est quod *J. Marcianus notat in I. 23.*

ff. de

ff. de annuis legat. ubi inquit, cum quidam decurionibus divisiones dari voluisse die natalis sui, Divi Severus & Antoninus rescriperunt, non esse verissimum testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato. Divisiones significant viscerationes, crustula & mulsum, quæ viritim convivis dividebantur, ut ex inscriptione appareret, quæ Spoleti est.

TRIB. MILIT. LEG. XV. APOLLINARIS. ET.
LEG. V. MACED. HIC. LEGAVIT. TESTAMENTO. HS. LXVI. G. MONET. UT. EX. REDITU.
EJUS. SUMMÆ. QUOT. ANNIS. VIII. IDUS. NOVEMB.
NATALE. SUO. MUNICIPIB. EPULUM.
ET. CRUST. ET. MULSUM. DARETUR.

Amphidromia quoque, ut Grammatici Græci referunt, dies erat familiæ festus, quo natum puerum circum focum ferebant, propinquique & amici dona dabant. Pejus erat festum illud Atheniensibus consecratum, in quo jus erat, dictariis & conviciis in alios ludere. *Erasm. adag. pag. 550.* Cæterum juxta natalium ferias, vetustas agnovit & funeralium, erantque novem dierum, unde novendiale sacrum, cum defunctis lustrabant, & justa mortuis faciebant, quibus diebus in jus vocari non poterant *I. 2. ff. de in jus voc. aut ullenatus inquietari. Auth. sed neque C. d. sepul. viol. Nov. 115. cap. 5.* Pcenicales olim appellabantur hæ novem dierum feriae, sive denicales, scribente Gell. *Noct. Att. lib. 16. cap. 4. ad fin. ubi funus familiare, feriæve denicales &c.* septem enim diebus cadaver domi deploratum, (exemplo Josephi Vid. *Genes. 50. vers. 10.*) octavo efferebatur, nono tumulabatur. *Bald. de poen. tem. litig. præterea funeralis causa viscerationes & gladiatores populo datos, ludosque funebres factos, post ludos epulum, tradit Liv. lib. 8. cap. 22. Idem lib. 39. cap. 46. add. I. 54. ff. de legat. 3.*

V I.

Ut tandem ad publicas transitum faciam, ex sunt vel solennes seu ordinariae, vel repentinae seu extraordinariae: *I. 3. C. de dilar.* Macrobius quatuor species ponit, nempe stativas, conceptivas, imperativas & nundinas, quarum quædam ad honorem

§ DISPUTATIO JURIDICA

rem Dei , quædam ad homines pertinent , & earum , quæ ad homines pertinent , quædam pro veneratione Principis , quædam pro utilitate seu necessitate hominum , quædam ad publicam lætitiam seu luctum ; sed has tetigisse , & quasi digito monstrasse sat est , quas adeo historicis & antiquitatis studiosis relinquimus . Add . omnino , quæ eleganter collecta tradit *Thelos* .
Syntagma. jur. univ. lib. 2. cap. 16.

V I I.

Solennes sive ordinariæ sunt , quæ quotannis & certis temporibus recurrunt in orbem : unde & statæ & anniversariæ nuncupantur . *Matth. de jud. disp. 5.* quales sacra quoque pagina agnoscit , *Thelos. Synt. ibid. n. 5.* suntque celebrandæ sine servili opere , à nocte media usque ad sequentis noctis medium partem *l. 8. ff. b. t.* quam diem *civilem* vocat *Plinius* , docente *Zypejo Not. jur. belg. t. defer.* Vid . *Poller. hist. for. Rom.* pag . 78. suntque vel divini vel humani juris prædictæ feriæ : celebrandæ , ut opinamur , juxta Calendarium sive stilum non actoris aut rei , sed judicis *arg. l. 34. ff. de R. f. l. 3. §. ult. ff. de testib.* uti non spernenda testificatione erudit *Matth. d. judic. disp. 5. n. 15.* *Wissemb. b. t. num. 12. fac. l. 3. §. ult. ff. d. testib. l. 6. ff. d. Evict.* ut tamen , quantum fieri potest , constituenda sint talia sistendi & litigandi tempora , quæ nec actori nec reo feriata sunt . *arg. l. 2. C. de Judeis Cl. Voet b. t.*

V I I I.

Divinæ feriæ sunt , quæ divini cultus gratia constituuntur , ac velut divinæ Majestati dicatæ sunt , velut dies solis , quem Dominicum ritè dixerat majores *l. ult. C. b. t.* & quem Constantinus Magnus primus in orbe jussit observari *l. 3. C. b. t.* neutrumquam verò religione tam perversa , qua Judæus ille , quia Sabbathum suum erat , in Latrinam dilapsus eo ipse die juvari renuit , recusantique suppetias ferre vetuit suo nunc die sacro , Christianus dux Clevi Brittonum , (vulgo Clochester) interea misero , quem luce tertia uterque salvasset , suffocato . Vid . *Chron. Angl. Rob. Baker. in vita Henr. III. pag. mihi 155.* ex qua tamen Constantini jussione non sequitur , diem dominum cum

I N A U G U R A L I S. 9

cum non fuisse antea cultum ab ecclesia, quod nonnulli inde collectum voluerunt *Cl. Huber. prælect. ad h. t. n. 2.* divinas quoque ferias faciunt dies Paschalis, natalis Domini, & Epiphaniæ: præterea septem dies, qui præcedunt, & septem qui sequuntur *l. 7. C. de fer.* hisce quindecim Paschalibus diebus, omnes actus, seu publici sunt, seu privati, etiam annonariæ functionis compulsionem, omniumque publicorum privatiorumque debitorum differri exactionem præcipiunt *Impp. d. l. 7. l. 8. C. eod.* inhiberi quoque omnem criminalium quæstionum cognitionem diebus quadraginta, qui Paschale tempus anticipant *l. 6. C. eod.* quam antiquavit usus, notante *Zypejo not. jur. belg. t. defer. in fin.* his quoque addunt *Impp.* Natalitios dies urbium Maximarum Romæ atque Constantinopolis, diisque Calendarum Januariarum consuetos otio mancipari *l. 7. C. eod.* de his ita canit *Ovid. Faſt. lib. 1.*

*Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia, differ opus, livida lingua tuum.
& Horat. lib. 3. carm.
Hic dies anno redeunte festus,
& paulo post*

— — — — — *procœl omnis est
Clamor & ira*

Mitte civiles super urbe curas.
In eadem observatione habuerunt eos dies *Impp.* qui vel lucis auspicia vel ortus imperii illis protulerunt *d. l. 7. C. eod.* uti *Martialis Domitianii Cæsaris natalem politissimo hoc epigrammate celebrat:*

*Cæsaris alma dies, & luce sacratiōr illa
Conscia Dylæum, qua tulit arma Jovem:
Longa precor, Pylioque veni numerosior aeo,
Semper et hoc vuln' vel meliore nite.*
Sin verò in diem Dominicum lucis & imperii ortus causa celebranda solennitas inciderit, eam differri præcipiunt *Impp. l. ult. C. b. t.* Cæterum *Imp. Manuel Comm. Conf. Impp. 2. de fer.* illos dies quibus propter nativitatem, aut creationem principis

10 DISPUTATIO JURIDICA

feriamur, inter non Feriatos collocat: *Mea itaque, inquit, Imperatoria Majestas quibus diebus, tum in hanc vitam producta, Divina providentia in Imp. designata est ne feriati sint, neque ulla inducias in illis iudicia habeant, sancit.* Porro constitutio hæc Pa-
picolis Calendarii loco sufficere potest; quippe qua continen-
tur omnes dies, tum quibus nullo modo ulla ipsorum parte
judicium constitui potest, ac nemo judicum judiciale quiddam
facit, tum quibus ex parte judicium sifstitur. Adde quoque
Nov. Neon. 88. Hisce omnibus diebus, ut cuncti manumitten-
di emancipandique licentiam habeant, ita quicquid contentiosæ
jurisdictionis etiam consentientibus litigioribus factum esset
apud judices arbitrosve, id omnibus modis irritum erat &
infirmum *I. 2. I. 6. I. 7. I. 8. C. defer. I. 3. §. 1. ff. eod.* & merito,
cum litigiis privatorum constet reliquos posse dies sufficere
I. 13. in fin. C. de Judeis. Præcipiunt porro Impp. die Sabbatho,
ac reliquis sub tempore, quo Judæi cultus sui reverentiam ser-
vant, neminem aut facere aliquid, aut ulla ex parte conveniri
debere: Ita tamen, ut nec illis detur licentia eodem die Chris-
tianos orthodoxos convenire *d. I. 13. C. de Judeis.* Sed &
I. XII. tab. Feriis jurgia amovento, easque in famulis (operibus
patratis) habento. *Cic. lib. 2. de legib.* Feriarum festorumque die-
rum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in
servis, &c. Vid. etiam *Macrob. lib. 1. cap. 16.* ne etiam fe-
stis diebus opus fieri debeat Tibull. admonet:

*Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave, suspenso vomere, cesser opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad presepia debene
Plena Coronato stare boves capite
Omnia sunt temerata Deo, non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.*

Sane his diebus feriisque divinis usque adeo religiosi fuerunt
Ethnici, ut in illis putarent

— — — grande nefas & morte piandum,
mala vel verba facere. *Ovidi fast. de Calendis Januariis:*

Pre-

I N A U G U R A L I S. 11

*Prospera lux oritur, linguis animisque favete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.*

Idem lib. 15. Metam.

*cognovit nomina castus,
Evinctus vitta crines albente sacerdos,
En Deus est, Deus est, linguis animisque favete
Quisquis ades dixit.*

Eodem modo Horat. lib. 3. carm.

*Male nominati, parcite verbis.
Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas.*

Facile est porro vel uno C. Fabii exemplo discere, quanta pietate, quantaque observantia Deos & sacra sua coluerint: quandoquidem ei neque obsessionis neque oppugnationis terror obfuit, quominus suæ gentis solenne sacrificium in monte Quirinali ex arce digressus inter Gallica tela perageret, quod non minore hostium quam suorum admiratione conspectum, refert *Liv. lib. 5. cap. 52. Florus lib. 1. cap. 13.* quicquid etiam Festo aut Nefasto die siebat, ominosum & vitio factum putabant: Lyricus enim cum repentina arboris casu pæne oppressus esset *lib. 2. carm.* de ea ita canit,

Ille Nefasto te posuit die.

I X.

Porro diebus Paschalibus constitutum est latrones, raptores, homicidas, Isauros qualicunque tempore Paschalium dierum examinari, & quæstionibus subjici, cum' & in hoc Summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumentis procuratur *l. 10. C. b. t.* quæ lex derogat *l. 6. C. eod.* ubi Imp. Valent. Valens & Gratian. inhibent omnem cognitionem criminalium quæstionum: ita enim publica salus & incolumentis procuranda est, ut, quanquam ubi primus dies Paschalis extiterit, omnium captivorum vincula dissolventur, & è custodia dimitterentur, etiamsi principalis jussio non intercesserit, nullus tamen eorum, quos supra recensuimus, ullam vinculorum requiem accipiat, aut eo die è carcere dimittatur, neque immunitate

12 DISPUTATIO JURIDICA

nitate gaudeat l. 3. l. 9. C. de episc. audiens. rationem habes in ipsa lege : nempe , quod ab ejusmodi sceleratis hominibus, si dimittantur , contaminari potius gaudia lætitiamque communem animadvertisimus; nimirum cum eum quoque diem violare non verentur scelerum suorum immanitate , neve atrocia sua perpetrare crimina sinunt. Horum juvant illa *Juv. Sat. 13.*

Quæ tam festa dies, ut cesseret prodere furem,

Persicidam, fraudes, atque omni ex criminè lucrum

Quæstum, & partos gladio, vel pyxide nummos.

Nostrates ideo nec reorum dimissione , nec relaxatione festos dies celebrandos , sed potius justitiæ administratione , & reorum sacrificio ornandos , & cohonestandos censem , quod omnimodo justitiæ normæ , ac legi divinæ magis consentaneum & congruum testatur *Groenew. add. l. 3. C. de episc. audiens.* nam (ut ait) qui absolvit improbum & qui condemnat justum , abominatio Jehovæ sunt æque ambo. *Prov. 17: 15. Add. Num. 35:33. Deutr. 13: 7.* ut tamen reis ad disponendas res (dicam animas) suas , componendosque mœstos penatos (dicam offenditum scelere Deum) aliquod temporis spatiū , quasi , ferias quasdam & inducias concederes , tribuendum sit l. 2. C. d. exhib. & transm. reis , verùm Judæorum hæc olim consuetudo erat , ut in memoriam liberati ex Ægypto populi , vincitum unum Paschali die è carcere dimitterent , *Matth. 27: 15. Joann. 18: 39. Marc. 15: 6. Luc. 23: 17.* quam consuetudinem , à Romanis in Provinciam redacti retinuerunt , Provinciarum præsidibus , ut clementia & misericordia populi gratiam sibi conciliarent , id illis indulgentibus. *Groenew. add. l. 3. C. de episc. audiens.* feriatis his diebus , nec pro tribunali tantum , & à superiore loco , sed & de pleno audiri Custodiæ poterant , quæ omnia probantur. *l. 18. §. pen. & ult ff. de quest. l. 12. ff. de public. judic. l. 3. l. 9. ff. defer. d. l. 9. C. d. episc. and. l. 6. C. d. custod. rer.*

X.

Isthac leges rescripsit Imp. Trajanus , ferias à forensibus tandem negotiis dare vacationem ; ea autem quæ ad disciplinam militarem pertinent , etiam feriatis diebus peragenda. *d. l. 9. ff. b. r.*

Quod

Quod ad rem militarem spectat, equidem necibi erant unius generis dies omnes: alii enim dicti præliares, alii non præliares. Præliares habebant eos, quibus fas erat res ab hoste repetere, vel hostem prælio & armis laceescere: Non præliares erant, quibus res repetere, hostem laceescere, aut prælium committere haud licebat, quales erant dies justi, item atri, aut fastis damnati propter acceptam cladem, ut dies ante quartum Calendas, vel nonas, vel Idus, quæ ideo innominales dictæ; ante quartum autem Calendas sextilis creditur accepta clades ad Cannas *Gell. noct. Att. lib. 5. cap. 17.* diemque *a. d. 15.* Calendas sextiles duplice clade insignem (quo die ad Cræmeram Fabii cæsi: quo deinde ad Alliam cum exitio urbis foede pugnatum:) à posteriore clade Allensem appellatum, refert *Liv. lib. 6.* ac fastis damnatum *Flor. lib. 1. cap. 13.* & *Lucan. lib. 7.*

Et damnata diu Romanis Allia fastis.

FERIIS etiam Latinarum, Saturnaliorum, Ditis & Proserpinæ prælium committere nefas erat, ita enim Macrob. nam cum latiar, id est, latinarum solenne concipitur, item diebus Saturnaliorum, sed & cum mundus patet, nefas est prælium sumere. Docet etiam idem *lib. 1. Saturn.* pontifices statuissime postridie omnes calendas, nonas, idus, atros dies habendos. vid. *A. Gell. lib. 5.* & *Plutarch. in lib. τῶν οὐφελαίων.*

X I.

Cum & ab antiquis legibus, & à diversis principibus semper rusticitati consultum est, & in multis legum subtilitatibus observatio ei remissa, quod ex ipsis rerum invenimus documentis *l. 31. C. de festam.* excipiuntur agricolæ necessitatis tempore ab observatione feriarum dierum Dominicorum, reliquorumque festorum: quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti, pereat commoditas cœlesti provisione concessa *l. 3. C. defer.* cui adstipulatur *Virg. lib. 1. georg.*

Quippe etiam festis quadam exercere diebus

Fas & jura finunt: rivos deducere nulla

Religio vetuit, segeti prætendere sepeva:

*Insidias avibus moliri, incendere vepres
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.*

Prædictæ tamen legi derogare & quidem totam abrogare co-
natus fuit Imp. Leo Nov. 45. quæ etiam expresse agricolas à
laboribus rusticis cessare præcepit: quoniam, „inquit, istius-
„modi lex in lucem prodiit, quæ Domini cultum vilipendat,
„diversum ab illis, qui contra omnes adversarios à Spiritu San-
„cto victoriam obtinuerunt, decretum præscribat: statujmus
„nos etiam, quod Spiritui Sancto, ab ipsoque institutis Apo-
„stolis placuit, ut omnes in die sacro, quoque nostra inte-
„gritas instaurata est, à labore vacent, neque agricolæ, ne-
„que quiquam alii in illo illicitum opus aggrediantur. Pro-
fecto religiosiore cautela! saltem juxta Theologos Amef. de
casib. consc. lib. 4. cap. 33. quæst. 9. Zepp. de legib. Mosaic. lib. 4.
cap. 9. selt. de mercat. & nund. in fin. quam tamen nostris tem-
perari moribus, edocet Groenew. ad l. 3. C. b. t. Zyp. not.
jur. belg. b. consule Renat. Choppin. de privil. rusticorum lib. 2.
cap. 7.

X I I.

Sed nunc ad humanas intendo digitum: ex sunt Messium &
vindemiarum, quarum vacationes non rusticæ duntaxat genti
verum & aliis prodeesse disputat D. Struv. ad h. t. possunt & nun-
dinæ adjici arg. l. 3. §. ult. ff. eod. l. un. C. de nund. & mercat.
Messis hic accipitur pro eo tempore, quo frumenta scinduntur
l. 1. l. 4. ff. b. t. non dispari sensu Virg. 5. eclog.

Ante focum si frigus erit si messis in umbra.

Vindemiarum pro tempore, quo colliguntur uvæ, aut vineæ scrobi-
bus mandantur. Colum. lib. de arb. vindemia facta, statim putare
incipito ferramentis quam optimis. Varro lib. 1. de re rust. In vine-
tis uva quam erit matura vindemiam ita fieri oportet. Messis causa
forum claudebatur à die octavo Calendarum Julii, usque ad Ca-
lendas Augusti, vindemiarum gratia à die decimo Calendarum Sep-
tembris usque ad idus Octobris l. 2. C. de fer. quod tamen va-
riat in provinciis pro locorum diversitate & consuetudine l. 4.
ff. eod. l. 7. ff. de off. procos. & Legati. verius enim est ob re-
gio-

gionum distantiam, diversam aëris & climatum temperiem, hac de re nihil certi statui posse, tradente Busio *ad d. l. 4. b. t.* ubi quod de Feriis Messium dicitur, ex moribus etiam ad tempus feminationis refert; quod rationem habet *arg. l. 1. C. de agric. & cens.* Vide *Costal. b.* De hodiernis feriarum diebus peculia- rum locorum statuta dictant, & particulares quæque Curiarum constitutiones, idem testante Cl. Huber. *pralect. ad b. t. n. 1.*

X I I I.

Nundinę vero dictę vel à Nundina, antiquorum Dea, vel à nono die, quo cives in urbem conveniebant propriis negotiis vel mercibus provisuri: quibus teste Macrob. legem ferre non licebat, ne si cum populo agi liceret, interpellarentur nundinatores: quibus immunitate data & relevatis vectigalium oneribus, sic optime commerciis consulitur; quique adeo, hisce impetratis à principe nundinis, (*cujus est jus nundinarum concedere Groenew. ff. & C. de Nund. & mercat.*) sub tutela velut publica recepti, nil sibi metuentes sua nobis communicant, reique publicæ quasi nervos isthoc pacto promovent. Disceptatum tamen refert Macrob. à veteribus scriptoribus, utrum hæ feriæ fuerint an secus? negare docet Titum, Julium, Modestinum & Trebatium: contra ferias esse affirmare J. Caesarem & Corn. Labeonem, cau- famque hujus discriminis inveniri apud Gran. Lycinianum. Jure novo Ferias esse satis aperte probant Impp. *d. l. un. C. de nund. & Merc.* Vetant enim his qui nundinas frequentant sub ullo prætextu aliquam inferri molestiam: Quod & de moribus re- ceptum, quibus nil æque expeditum est, quam antequam nundinarum (*vulgo vry-Merckt*) defluxerint curricula, neminem apprehendi vel carcerari posse ob debitum civile, nisi in iisdem vel contraxerit vel in illo loco sese soluturum receperit, *arg. l. 8. & passim ff. de eo quod certo loco*, facit *l. 41. ff. de V. O. Vid. Trensl. disp. ad ff. t. de in his voc. n. 2. lit. e. add. Wassen. Prae. Jud. cap. 1. n. 20. Tuld. Peres. ad t. C. de nundin.* Harum fe- riarum jus, decennii tempore non utendo Jure civili amittitur *l. 1. ff. cod. Groenew. ff. & C. cod.*

16 DISPUTATIO JURIDICA

XIV.

Solemnibus breviter expositis, restant repentinæ seu imperativeræ quas Principes, domi militiæque re feliciter gesta extra ordinem indicunt l. i. C. de fer. l. 26. §. 7. ff. quibns caus. maj. Ideoque imperiales dicuntur in l. 4. C. eod. quare etiam solus Princeps Ferias indicere potest d. l. 4. C. eod. Matth. disp. 5. n. 13. sed indicetas potest quilibet judex pro usu & justa ratione moderari d. l. 4. C. junct. l. 4. ff. eod. l. 7. ff. d. off. procos & legat. non item statuto tollere, quæ Baldi fuit rudior illatio. vid. Cl. Huber. praleet. ad ff. b. t. n. 4. add. Matth. de judic. disp. 5. n. 14. Quod autem Ferias indicere semper summi fuerit imperii, ex eo videre est, quod constituendarum feriarum causa, Dictatorem à Senatu dictum legimus, ut P. Valerium Publicolam apud Liv. lib. 7. cap. 28. Imperabantur ut plurimum ob eventum quendam populo, ut si terræ motus aut spectrum apparuisset, aut si

Lapides effuderit imber,
Imo propter quævis alia prodigia ac Διονύσιοι : quamobrem & Feriari Atticos adsoluisse meminit Francisc. Rous Archeolog. Attic. lib. 3. cap. 2. quibus addeabantur in piaculum sacrificia & supplicationes juxta illud Satyrici

Quaque coronata lustrari debeat agna.

Celebrabantur præterea hæ repentinæ ob lætitiam publicam, & res prospere gestas, ut supra notatum, quo facit expressa lex 26. §. 7. ff. ex quib. caus. maj. l. 8. l. 9. ff. ad senat. Turpill. Vid. Ann. Robert. rer. judicat. lib. 4. cap. 15. ut & si res prospere succedat, indicuntur aliquando FERIAS l. i. C. de fer. testis locuples est Dio. Cass. l. 6. 43. referens J. Cæsarem devicto Cn. Pompejo in Hispania, triumphum Romæ egisse, & FERIAS quinquaginta dierum actas, & Apud Liv. lib. 38. Scipio Tribunus plebis accusatus hoc modo has FERIAS indicere videatur: hoc die, ait, „Tribuni plebis, vosque Quirites, cum Hannibale & Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac „feliciter pugnavi. Itaque, hodie cum litibus & jurgiis super „sedere æquum sit. Ego hinc ex templo in Capitolium ad „Jovem

„Jovem Opt. Max. junonemque ac Minervam cæterosque
„Deos, qui Capitolio & arci præsident, salutandos ibo. Si-
militer Horat. ob Victoria[m] Actiacam Sodalibus eas in-
dicit, eosque ad indulgendum genio adhortatur Epigrammate
notissimo.

Nunc est bibendum nunc pede libero

Pulsanda tellus: nunc Salaribus

Ornare pulvinar Deorum

Tempus erat dapibus sodales.

Non enim, auctore Tibullo,

— — — *Festa luce madere*

Estrubor, errantes & male ferre pedes.

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat,

Nomen & absentis singula verba sonent.

moshic, ut obiter moneam, fuit Græcorum & Romanorum;
ut ad pocula, amicorum, benefactorum, Principum, bonis
cum votis meminissent, eo ipso gratiora sibi vina facientes, &
sodales invitantes ad largius bibendum. Sic Ovid. lib. I. de
arte amandi.

Et bene dic Domina, bene cum quo dormiat illa.

Idem lib. 2. fast.

Et bene nos, bene te, patriæ pater Optime Cesar,

Dicite suffuso per sacra verba mero.

Res ex voluptate paulatim transit in coactionem, etiam inter
priscos Christianos: quippe adhibebantur ea nomina, ut si
quis, quamvis contra facietatem & lubitum respondere du-
bitaret, impietatis reus haberetur. Audi Ambrosium: Quid
„obtestationes, inquit, potentium loquar? Quid memorem
„Sacramenta quæ violare nefas arbitrantur? bibamus, inqui-
„unt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit, fit reus
„in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui
„pro salute ejus non biberit. Bibamus pro salute exercituum.
„pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate. Verum ne ex-
tra harenam certasse videar, ad intermissum munus revertar: Pro-
consules quoque pro jucundo suo adventu, dum in aliquam ce-

18 DISPUTATIO JURIDICA

lebrem provenirent civitatem vel caput provinciæ, FERIAS quæ secundum mores & consuetudines retro obtinuissent dabant *Vlpiān. l. 7. ff. de off. procos.* Deditus & nuperrime nobis, quum gratulabundus quantus erat orbis, Sonoro ardentiique micabat aëre super incredibili expeditione Brittannica, nec non meritiſſima Coronatione Augustissimi Regis GUILHELMI III. atque Serenissimæ Reginæ Conjugis MARIAE STUARTÆ, Memorabilem supra millesimum sexcentesimum, octuagesimi noni Anni Diem $\frac{11}{21}$ Aprilis, & in fastis eximia alicujus notæ adjectio-
ne signandam, quam quoque panegyrico carmine concelebravit honorifice vir Cl. D. Lucas vande Poll. Promotor honorandus.

X V.

At nullum quidem solenne neque stativum apud Romanos erat festum atratum seu lugubre, nec planctus ob raptos Deos nec lamenta mulierum, qualia Sacra Græci faciunt, raptam Proserpinam, casusque Bacchi referentia & id genus alia *Dion. halicarn. lib. 2. antiqu.* Repentinum autem habuerunt, nempe Justitium, quod erat Jurisdictionis ob tumultum aut res infe-
liciter gestas intermissio, sive juris statio, quo tempore lege agi non licebat, cuius varia exempla exstant passim apud Actores, *Liv. lib. 10. Senatum, loquitur, Nunciis de Campaniæ po-
pulatione allatis conterritum, Justitium indici, delectum omnis
generis hominum haberi jussisse.* Sic idem *lib. 3. lib. 7. &c.* Sed & luctus & moestitia causa plerumque justitium aut indi-
ctum aut sumptum ostendit *Tacit. lib. 2. Ann. de Germanici
„ morte loquens his verbis: hos vulgi sermones audita mors adeo
„ incendit, ut ante edictum Magistratum, ante SCtum sumpto
„ justitio, desererentur fora, clauderentur domus, passim silen-
tia & gemitus.* Tumultu vero sedato remitti Justitium sole-
bat; & supplicationes aliquando in ejus locum succedebant:
vid. *Liv. lib. 3.* Inde Romam redditum est, Justitium remis-
sum. Idem *lib. 10.* Itaque & supplicationes ob rem bene ge-
„ stam Consulis nomine decernunt, Justitium remittitur, quod
„ fuerat per dies decem & octo, add. eleganter *D. Brissos. de formis.
lib. 2. pag. 250.*

XVI. Facta

X V I.

Facta Mentione de supplicationibus non abs re videbitur & has paucis illustrare: Erant autem seriæ repentinæ plerumque conceptæ in honorem Imperatoris, qui honos una cum Imperatoris nomine rebus feliciter gestis decernebatur victori. Nempe cum Senatus populo Deum templo aperiri ac gratias Diis imperatoris nomine agi jubebat. In hac autem supplicationis pompa, quæ aliquando pluribus, aliquando paucioribus continuabatur diebus, Senatus ad templo Deorum solemniter se conferebat, ibique sacrificabat thure scilicet vino, lacte, mola falsa, dabatque in templis epulum: omnis autem populus agebat Diis gratias tum pro parta jam victoria, tum pro spe victoriae, quæ affulgebat & vota pronus faciebat, ut Dii hoc modo placati, quod ostenderant beneficium, perficerent. *Brisson. pag. 42. 204. & seqq.* Primis Reip. temporibus in unum tantum alterumque diem supplicatio decernebatur, tamen ad postremum eo res progressa est, ut etiam in quinquaginta dierum spatum decretæ sint, siquidem M. Valerio & M. Horatio Cossi, devictis Sabinis supplicatio in unum diem decreta est: *Liv. lib. 3. M. Furio Camillo Vejis captis in quatriiduum, quot dierum nullo antea bello decretæ erant. Sic enim idem lib. 5. cap. 23. velut. Ex insperato immensum gaudium fuit. Et priusquam Senatus decerneret, plena omnia templo Romanarum matrum, grates Diis agentium erant. Senatus in quatriiduum, quot dierum nullo antea bello supplications decernit. At vero Cn. Pompejo, confecto Mithridatico bello duodecim. Cæsari bello gallico primo quindecim: post viginti. Hirtio, Pansa & Cæsari Octaviano Mutina Colonia liberata, quinquaginta dierum decretæ sunt. In quibus decernendis, cum magnitudinis victoriae, tum dignitatis hominis rationem habuisse videntur. Hoc honoris genus Ciceroni quoque habitum fuit, Catilinaria conjuratione detecta ac repressa, ut ipse meminit in 3. & 4. *Catil. in 2. Philipp. & alibi.* habebantur quandoque supplications huic vel illi particulari Deo, aliquando ad omnia delubra*

20 DISPUTATIO JURIDICA

bra & circa omnia pulvinaria, vid. *Liv. lib. 7. lib. 41.* etiam aver-
runcandi prodigia *lib. 10..*

XVII.

Imperabantur seriae, ut litibus & jurgiis abstineretur, per
preconem edici Antiquitus solitum, docet *Cic. lib. 1. de divi-
nat.* Ac certis quidem solennibus verbis concipi consuevit,
qua^e legitima *Ovid. appellat lib. 2. fast.*

Curio legitimis tunc fornacalia verbis

Maximus indicit nec stata sacra facit.

codem solenni modo compitaliorum FERIAS calatas reperio, apud
A. Gell. lib. 10. cap. 24. Arnob. lib. 7. adversus agent. Velut
excommuni gentilium sermone ita recitat. „Lavatio Deum ma-
„tris est hodie. Jovis epulum cras est. Aesculapii geritur,
„celebraturque vindemia. Lectisternum Cereris erit idibus pro-
„ximis. Telluris natalis est.

XVIII.

De lectisternio id adnectimus, istud quidem fuisse festum
Romanum, & repentinis FERIAS addi posse, sacrorum causa in-
stitutum, primo propter gravem pestilentemque animalibus æsta-
tem, cuius insanabili pernicie, quando nec causa nec finis inve-
niebatur, libri Sybillini ex Senatus consulto aditi sunt, uti hoc
modo refert *Liv. lib. 5.* „Duumviri sacris faciundis, lectister-
„nio tum primum in urbe Romana facto per dies octo, Apol-
„linem, Latonamque, & Dianam, Herculem, Mercurium
„atque Neptunum, tribus quam amplissime tum apparari po-
„terat, stratis lectis placavere. Privatum quoque id Sacrum ce-
„lebratum, tota urbe patentibus Januis, promiscuoque usu
„rerum omnium in propatulo positio, notos ignotosque pas-
„sim advenas in Hospitium ductos ferunt: & cum inimicis
„quoque benigne ac comiter sermones habitos, jurgiis ac liti-
„bus temperatum. Vinctis quoque dempta in eos dies vincula,
„religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent vinciri.
Præterea varia horum festorum exempla passim apud auto-
res occurunt, præsertim apud. *Liv. lib. 7. cap. 2. & 25. lib.*
22. cap. 10.

XIX. Sed

XIX.

Sed ut tandem è diverticulo in viam redeamus , differentias divinarum & humanarum videamus; humanis quamvis regulatiter jus dicinon possit, neque quisquam judicatum facere, neve solvere debeat, præsertim cum adversus partium voluntatem judicatum fuerit *l. 6. ff. de fer.* potest tamen sponte litigantibus præsentibus & se fistentibus *l. 1. §. 1. ff. eod.* recte his renunciare licet, non vero divinis *l. ult. C. junct. d. l. 1. §. 1. ff. eod.* quibus lata sententia infirmaretur *l. 4. C. quom. & quand. jud. Busius, Costal.* aliique; quod moribus tamen secus esse, inculcat *Groenew. ad l. 6. ff. b. t.* imo de jure, si consensus litigatorum adsit, parum obstante *l. 36. ff. de recept. qui arbitr. recep.* Vid. *Bronch. cent. 1. assert. 27. Anton. Fab. in ration. ad l. 1. §. 2. l. 6. ff. b. t.* præterea his fieri possunt omnia, in quibus dilatio periculum allatura est, vel actionem est peremptura, & id quod prætermissum noceret, *arg. l. 1. §. 12. 13. ff. d. N. O. N.* (ita Scævola Pontifice Max. respondentē) verum ad hoc tantum cogi æquum est, ut lis contestetur *l. 1. §. 2. l. 3. ff. b. t.* recte vero omni die tutores & curatores dantur *l. 2. ff. cod. l. 8. §. 2. ff. detut. & curat. datis.* atque officii sui admonentur, excusationes allegantur, alimenta constituuntur, sive ex necessitate præsenti, dum res moræ impatiens est, sive post secutura: ætates probantur, ventris nomine, rei servandæ, legatorum, vel fideicommissorum, damni infecti causa in possessionem mittitur, quod & ad Novi operis nuntiationem relatum est: maxime cum ei quoque in tempore provideri expeditat *arg. l. 1. §. 4. 9. 12. 13. & seqq. ff. d. oper. novi nunc.* Curator bonorum datur, omni etiam tempore liberalia judicia finiuntur, & in eum jus dicuntur, qui quid nundinarum nomine adversus communem utilitatem acceperit *l. 2. l. 3. §. 1. & 2. ff. b. t.* addunt interpres posse & arbitrarem sententiam dicere *Azo in l. 8. Bald. in l. ult. C. eod.* tametsi arbitria ad morem judiciorum sint redacta. Vid. *Busium ad l. 1. b. t.* dissentit Costal. *ibid.* adserens non arbitria, sed arbitramenta valere, quia contractus illis diebus initi subfisterent. Debitorem de fuga suspectum arrestari posse in Feriis

22 DISPUTATIO JURIDICA

Deo dedicatis colligitur arg. l. 10. §. 16. ff. de his quæ in fraud. Cred. l. pen. ff. eod. Peckius de jur. sistendi cap. 1. c. 10. n. 1. 2. Christin. decision vol. 2. dec. 158. 168. subsistunt & pacta & transactiones l. 2. l. 8. l. ult. C. h. t. circa quas non contemnendam amplectore sententiam statuentium, quod quidem transactio non sit nulla, quæ celebrata est die Feriato : attamen profanent Sabbathum, qui transactiones operosum negotium exigentes, Feriis divinis ineunt ; ne quicquam reclamante d. l. ult. C. h. t. si quidem ibi solum traditur quod omnis lis debeat diebus Feriatis cessare, & quod litigantes amice conversari, suspensa que lite potius de transactionibus quam litigiis loqui debeant. Sic D. Struv. in Evol. b. t. hisce adde *insignibus* istis diebus; (sicut *insignis* diei mentio est in l. 8. ff. ad SCtum Turpil.) expedire posse plerosque actus voluntariæ jurisdictionis d. l. 2. ff. b. t. l. 2. C. eod. sed & idem esse in causis piis, ut dictum , Matrimonialium , Ecclesiasticarum , pupillorum , viduarum , inopum inter omnes constat , adeo etiam ut posteriora pleraque hæc , si vel minima causa subfit , peragantur diebus sacris *Busiss* ad l. 1. b. t. Vid. D. Eyndhoven dissert. pag. 417. de dote quæsumitum est? magis tamen est quæstiones dotales in Feriis cessare arg. l. 7. C. de dot. promiss. non obstante, quod dotum dicatur causa pia l. 32. §. 2. ff. de condit. indeb. nec non publica l. 2. ff. de jure dot. l. 1. ff. solut. mair. sane si de dote alimentorum causa decerni aut cognosci postuletur, res loquitur hanc quæstionem in Feriis tractandam. Vid. Fachin. controv. lib. 10. cap. 36. tractantur etiam sine aliqua intermissione causæ publicæ ac fiscales l. 5. C. h. t. l. 4. C. de vettig. & comm. fit quoque à tabellione instrumentum , ab Advocato informatio Perez. ad t. C. n. 6. 12.) Zoef. b. t. n. 5. item appellatio l. 1. C. eod. & ad comparendum die feriato coram venerando Prætore, nempe humano, non vero sacro uti ab Oldrado distinguitur arg. l. 3. l. ult. C. de fer. l. 1. ff. eod. Matth. disp. 5. n. 11. non tamen ut respondeatur die feriato citatio in jus valet l. 1. ff. b. t. vid. Groenew. ad l. ult. C. eod. quod si citatio facta sit in diem feriatum , benignius quidem videtur, sequentem non feriatum sive fastum observari proximum arg. l. 2. §. penult. C. de temp. appell.

appell. mollius enim leges interpretandæ sunt *l. 18. ff. d. II.* non etiam jure Canonico citatio illa invalida est, verum obligat citatum ut proximo die juridico compareat, alioquin è remodicium in eum decernitur. Add. *c. 6. cum delecti x. de dolo & contum.* *Zoef. b. t. n. 4. Groenew. ad l. ult. C. b. t.* vid. *Vromans de for. compet. lib. 3. cap. 1. n. 17. 18. Gail. lib. 1. obs. 53.* ubi vid. per tot. et si vi juris hoc ipsum careat *Cf. Huber. praelect. ad b. t. n. 3. Perez. tit. C. n. 9. A. Matth. de judic. disp. 5. n. 12.*

X X.

Repentinis an inter consentientes jus dici potest? quia repentinis tristibus plerumque supplicationes siebant, existimo recte à plerisque responsum esse, repentinis hac in parte divinis comparandas esse, ut nec inter consentientes judicium reddi possit. *Bald. in l. 1. C. de fer. Donell. 24. com. 7. Wesemb. parat. ff. de fer. n. 8. D. Gail. 1. obs. 53. n. 16. & seqq.* patet etiam illud aperte sati ex omnibus harum Feriarum speciebus supra allegatis, semper fere sacrorum causa conceptis. His tamen Feriis, at lætioribus forte, restituturum se Prætor nominatim edicit *l. 26. §. 7. ff. ex quib. caus. Maj.* licet etiam appellare *l. 1. C. b. t.* illis denique Feriis ea tantum peragi licet, quæ divinis, ut tamen sententiam exequi eo ipso sacrorum die, sed post publicam peractam solennitatem, fas esse possit, uti pronunciavit. *An. Robert. rer. jud.* Cæterum quæ hisce coaddi possent de dilationibus, de diversis temporibus, aliaque non inscita, turgescentes redderent phyliras, quas mucidiore fortean vetustate, quam efficaci legum dictamine plus nimium ampliavero, dummodo *non monstrosum aliquod aut prodigiosum enixus v. l. 14. ff. d. stat. hom.*

Otio qui Nescit uti, plus negotii habet.
Quam cum est negotium in negotio.

Verbum non amplius addam.

M A N.

M A N T I S S A.

I.

*N*Egotiorum gestor etiam de levissima culpa tenetur.

II.

Contractus in testamento celebrari nequit.

III.

Scriptura non est de essentia legis.

IV.

Donatio propter liberorum supervenientiam revocari non potest.

V.

Maritus est Dominus Dotis.

VI.

Matrimonium non est Contractus.

F I N I S.